qui juriſdictionem in foro externo ad cogendum habet, ut tradunt *Doctores in tractatu de excommunicatione*, qualem habeat Epiſcopus in his caſibus. Deinde quia alias inanis & fruſtranea eſſet juriſdictio Epiſcopi ad compellendos exemptos, ſi armis, quibus Eccleſia ſolita eſt compellere, deſtitutus eſſet, nimirum, poteſtate cenſuras ferendi, ut in ſimili dicit *gloſſ. c. Super quæſtionum, v. Executorem, & c. Ex litteris, v. Si ſubdelegatus, & c. fin. v. Commiſſum, de offic. judic. delegat.* ubi docet habentem nudum miniſterium poſſe excommunicare impedientes ſuam commiſſionem, ne alias inutilis ſit commiſſio. Præterea, quia cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus ea explicari non poteſt, *lib. 2. ff. de juriſdictione omn. judic. cap. Paſtoralis, cap. Præterea, de officio deleg.*

23 Sed exiſtimo non poſſe Epiſcopum prædictos exemptos excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere, ſi privilegium ſpeciale habeant, ne poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici. Quale habent mendicantes, ut conſtat *ex eorum compendio, v. Exemptio, n. 9. 23. & 24.* & Soc. Jeſu, ut conſtat ex bulla Pauli III. ipſi conceſſa ann. 1549. & hoc niſi expreſſe concedatur Epiſcopis, ut in iis caſibus poſſint cenſuris latis contra exemptos procedere, ut evenit in decreto *Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 16.* ubi conceditur Epiſcopis, ut per cenſuras cogant exemptos reſtituere bona novitiis reſipiſcentibus, & *c. 5.* ut clauſuram monialibus imponant, & inobedientes aut contradicentes compellant cenſuris. Et *ſeſſ. 22. decreto de vitandis & obſervandis in celebratione Miſſæ*, ut procedant per cenſuras contra exemptos celebrantes in oratorio privato, aut horis non debitis; & quæcumque ſuperſtitiones ablegent. Et ita docent *Gambara de officio legati, lib. 8. c. ult. n. 77. habetur tom. 13. tractatuum part. 2. Enriq. lib. 7. de indulgent. c. 25. n. 7. ad fin. Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. c. 64. n. 4. caſ. 1.* Ducor ex *c. 1. de privil. in 6. verſ. In eos autem*, ubi cum decretum fuiſſet habere Epiſcopum juriſdictionem in exemptos delinquentes, aut contrahentes extra locum exemptum, ſubdit textus hæc verba: *In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apoſtolica eſt indultum, (ſicut ſunt religioſi quamplures) in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachos pro ulla cauſa, ullove loco, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat: iidem ordinarii juriſdictionem ſuam quantum ad iſta, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non poſſint.* Et quidam ſolus caſus ibi excipitur: ubi *gloſſ. v. Quantum ad iſta, Hoſt. col. 5. ſuper eodem verb. Jo. Andr. nu. 7. verſ. Ingl. interdictum, Archid. n. 2. verſ. Illa, Anchar. n. 6. notab. 7. Dominicus ibi, §. ult. n. 7. & ibi Francus eodem §. ult. n. 2.* dicunt poſſe Epiſcopum hos religioſos deponere, & in actus monaſterium detrudere, aliiſve pœnis punire, non tamen poſſe in eos cenſuras ferre, quod quantum ad hoc ſit ligata poteſtas. Quod ſi cenſuras ferat, eas nullius valoris fore, dicunt *Hoſt. ibi ſuper v. Præſumat, Ancha. ibi n. 4. not. 8. Domin. ibi, §. ult. nu. 6. verſ. Quid ſi ordinarius, & ibi Francus eod. §. ult. n. 1.* & ſoli ſummus Pontifex & Legatus a latere excipiuntur, qui poterunt cenſuris hos exemptos cogere, ut teſtantur ibi *Hoſt. ſuper v. Epiſcopus, Archid. n. 2. verſ. Epiſcopus, Dominic. n. 5. verſ. Quæro an dicatur.* Secundo, ex doctrina multorum aſſerentium exemptos ab Ordinario citatos teneri comparere, ubi exemptio non eſſet notoria, & ſi non compareant, valere excommunicationem adverſus eos inflictam: nec vim ſuam amiſſuram, quamvis poſtmodum privilegium allegent, juxta *c. Suborta, de ſent. & re judic. fine*; excipiunt tamen niſi exempti privilegium habeant, ne poſſint excommunicari, cum clauſula irritanti. Hi ſunt, *Joan. Andr. regul. Scienti, de regulis juris, in 6. nu. 7. ad fin. verſ. Not. decretalis, quia cunctis, & ibi Francus num. 4. Idem Joan. Andr. cap. 1. de conceſſ. præb. in 6. num. 8. & ibi Anch. n. 6. verſ. Venio ad 3. par. Domin. ibi §. Ex parte, nu. 4. Franc. eodem §. n. 2. Socinus c. Mulier. n. 34. de ſent. excomm. Ricard. 4. d. 18. a. 5. q. 5. Roſel. v. Exemptas, init. Sylv. v. Exemptio, q. 8. & ibi Armill. n. 2.* Stat igitur habere Epiſcopum juriſdictionem in exemptos, & tamen non poſſe illos cenſuris ligare. Adde quoties Tridentinum voluit Epiſcopis juriſdictionem procedendi per cenſuras contra exemptos concedere, id explicuiſſe: ut conſtat ex decretis allegatis. In aliis autem decretis, ut *ſeſſ. 25. de regular. c. 13* ſubjecit exemptos Epiſcopis, quoad compellendos eos ut publicis proceſſionibus interſint, & quoad componendas controverſias de præcedentia locorum exortas, & *cap. 14.* quoad punitionem religioſi publice delinquentis in certo caſu, & *cap. 17.* quoad explorandam voluntatem puellæ profeſſuræ; & tamen non adjecit, ut poſſet Epiſcopus cenſuris compellere. Ergo ſignum eſt, eam juriſdictionem noluiſſe dare. Nec obſtant in contrarium adducta num. præced. Quia habens juriſdictionem in foro externo ſpirituali, poteſt excommunicare: & conceſſa ea juriſdictione, conceduntur ſubinde ea, ſine quibus explicari nequit, niſi per ſpeciale privilegium ligata ſit poteſtas quoad aliquam ſpecialem pœnam: ut contingit in caſu præſenti, Nec eſt fruſtranea cogendi poteſtas, quia poteſt aliis pœnis uti, ut explicuimus. Ex his ergo colligitur, exemptis hoc privilegio fruentibus impedientibus monachi conjugati revocationem, non eſſe integrum Epiſcopo cenſuris eos cogere, ſed aliis pœnis: quod nullus textus id conceſſerit in hoc caſu.

Quæſtio ultima. An conjux manens in ſæculo, qui licentiam alteri conceſſit, profitendi, caſu quo non datur revocatio, juxta dicta, cogendus ſit religionem profiteri, aut votum caſtitatis emittere? Et quidem ſi nullum votum emiſit, & erat juris ignarus, ea ignorantia, quæ excuſat: jam n. 14. diximus hunc nequaquam ad aliquid cogendum eſſe, ſed profeſſum revocandum. Si autem votum caſtitatis emiſit in ſæculo, & eſt ſenex, nec ſuſpectus de incontinentia, ad nil eſt cogendus: ſed poteſt in ſæculo manere, & legitima eſt profeſſio, ut diximus diſp. præced. nu. 2. 24

Procedit ergo quæſtio, quoties conjux manens in ſæculo eſt juvenis, aut ſuſpectus de incontinentia, & votum emiſit: aut erat conſcius juris, quo caſu vovere cenſetur, nec datur revocatio, juxta tradita n. 9. & 14. Cum ergo his caſibus non conceditur revocatio, merito dubitatur qualiter conſulendum ſit periculo incontinentiæ conjugis in ſæculo relicti? Quidam cenſent hunc non cogendum profiteri, ſed in monaſterium recludendum, ne incontinentiæ periculum incurrat. Quia ultra proprium votum nemo profiteri eſt cogendus, *c. integritas, 32. qu. 2.* ita ſentiunt *Innoc. c. 1. n. un. v. Servare, de conv. conjug. & c. Significavit, n. un. paulo poſt princ. eod. t. & ibi Ant. n. 4. Card. n. un. oppoſit. 4.* & manet dubius ibi *Anch. in fine*, & cogitandum relinquit utra pars ſit verior. Et tenent *Archid. c. Qui uxorem, n. 2. 33. q. 5. & ibi Bellam. n. 3. Navar. lib. 3. conſ. tit. de converſ. conjug. in priori edit. conſ. 5. n. 4. in poſteriori, conſ. 14. nu. 4.* & dicit probabile *Palac. 4. d. 27. diſp. 2. col. 31. verſ. Porro in c. fol.* 588. addens recluſionem duraturam, quouſque ſit ſenex, & de incontinentia minime ſuſpectus, & limitat Navar. niſi votum emiſerit religionis, tunc enim ait teneri ad religionem, & cogendum profiteri. 25

Alii cogendum profiteri aſſeverant. Probatur ex *c. Significavit, de conv. conjug.* a contrario ſenſu, ubi de uxore concedenti viro profitendi licentiam ſic dicitur: *Mandamus quatenus ſi eſt ita, & eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poſſit ipſam votum continentiæ obſervantem, intrare monaſterium compelli non permittas.* Ergo debet compelli, quando eſt juvenis aut ſuſpecta. Nec juvabit dicere, compelli ingredi monaſterium, ſed non profiteri. Quia cum iis, quæ religionem profeſſæ ſunt, non bene convenit, quæ profeſſa non eſt: & ideo jus commixtionem hanc interdicit, *c. Ut clerici, c. Vidua, de regul.* 2. quia cum conjux ille manens in ſæculo non deliquerit, non eſt par eum includendum fore quaſi in carcere, *c. de lapſis, 16. q. 6.* Tandem quia licet aliquis non cogatur invitus profiteri: id tamen accidit, quando non eſt aliquid, quod ſibi imputetur. Et ideo ita ſentiunt *Goffr. ſumm. tit. de converſ. conjug. n. 9. Hoſt. ſumm. eod. tit. n. 10. & c. 2. nu. 4. eod. tit. Henric. c. Uxoratus, n. 9. eod. tit.* 26

Sed ea diſtinctio valde mihi placet in hac quæſt. Aut enim conjux votum religionis emiſit, & tunc cogenda eſt religionem profiteri, aut vovit ſolam continentiam dando marito licentiam profitendi: & tunc diſtinguendum eſt, ſi erat juris petentis profeſſionem ipſius, ut vir legitime profiteretur, ignara, non cogetur profiteri, ſed includetur in monaſterium, quo a vagationibus arceatur, & ceſſet continentiæ periculum, ut ait I. ſent. relata n. 25. ſi vero ejus juris conſcia erat, cogetur profiteri, ut ait ſententia nu. præc. relata. Probatur, quando erat juris ignara, non eſſe compellendam profiteri; quia eſt res dura rem tam arduam injungere ei, quæ nec expreſſe nec tacite eam promiſit: nec mirum, ſi compellatur ut ſit intra monaſterium incluſa, quia venit acceſſorie ad obſervantiam caſtitatis, quam promiſit: nec compellitur ingredi, ut ſtet ibi quaſi in carcere, ſed ut honeſtam vitam ducat. Probatur vero quando erat juris conſcia eam compellendam profiteri, ex *c. Qui uxorem, 33. q. 5.* ibi, *Qui uxorem ſuam valere promiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter convertatur.* Deinde, quia ſciens id deſiderari ad legitimum viri ingreſſum, aſſenſum illi præbens videtur ſe ad illud obligare (ut probavi n. 14.) & ideo hanc ſent. ſuſtinent *Cald. c. 1. de conv. conjug. & ibi Abbas n. 8. & c. Significavit, in fin. eod. t. Brunel. de ſponſal. concl. 30. n. 10. Majoris 4. d. 32. q. 2. §. Pro illa rubrica, Roſell. v. Impedimentum, impedim. 11. in princ. Sylveſt. Matrim. 8. q. 12. dict. 4 Tab. Matr. 1. q. 2. n. 4. Azor lib. 12 inſtit. moral. c. 1. q. 6. §. Si quæras.* Temperant *Abbas eodem c. 1. nu. 8. Roſell. & Sylv. proxime citat.* ut hæc diſtinctio habeat locum in iis, quos juris ignorantia excuſat: ut ſunt mulier, minor, miles: ſecus quando non excuſat, tunc enim conjux juris ignarus cogitur etiam profiteri. Et mulierem excuſari in hoc caſu, ignorantia juris, affirmant etiam *Hoſt. d. c. Significavit, in fin. & Jo. Andr. ibi in fin.* quamvis excuſari negat *Card. c. Ex parte, el. 1. ad fin. de conv. conjug.* Sed (ut dixi nu. 14.) diſtinctio hæc ignorantiæ juris deſervit foro externo. Nam in foro conſcientiæ æque excuſat ac facti ignorantia. 27

Ad arg. nu. 25. Propoſitum conſtat ex dictis nu. præc. ingreſſus enim ille & profeſſio veniunt acceſſorie ad rem promiſſam, & licentiam præſtitam non ignorato jure. Ad argum. propoſita n. 29. dic, ad 1. reſpondeo intelligi de ingreſſu ad profitendum, ubi ignorantia juris non excuſat vel de incluſione ſola ut ſervetur caſtitas, quando ea excuſat. Nec eſt abſurdum, cauſa juſta concurrenti non profeſſam eſſe ratione cuſtodiæ inter profeſſas. Ad 2. conſtat ex dictis nu. præced. non enim includitur quaſi in carcerem, ſed ad cuſtodiam. At ultimum dic non adeſſe cauſam compellendi ad profeſſionem, niſi quando aderat juris ſcientia, ut num. præced. diximus. 28

DIS-

DISPUTATIO XXXIV.

Utrum profeſſio conjugis poſt conſummatum matrim. facta ignorante altero, aut ſciente, contradicente tamen, valida ſit? an potius profeſſus revocandus ſit, & ſic revocatus ad quid obligetur?

SUMMARIUM.

Profeſſio illa non habet vim voti ſolemnis, num. 1.

Votum caſtitatis in ea emiſſum habet vim voti ſimplicis: & obligat conjugem ne exigat, at tenetur reddere, 2.

Quid, ſi ex fine immediato profitendi in religione, caſtitatem tunc voveret, & dependenter ab ea: & quid in dubio? 3.

An liceat huic profeſſo revocato petere debitum, non tamen exigere? n. 4. & remiſſive an alter conjux teneatur ei reddere?

Num ei liceat ſaltem valide ad aliud matr. eo ſoluto tranſire, 5.

An liceat conjugi alteri profeſſum abſque ſua licentia revocare, quamvis uterque communi conſenſu caſtitatem voviſſent, 6.

Non licet e religione illum rapere, & enodatur c. Cum cauſa, de raptor. n. 7.

An profeſſio abſque conjugis licentia facta vim habeat voti ſimplicis religionis? Refertur duplex ſententia, 8. & 9.

Nullatenus obligat ad religionem: & traditur differentia inter id votum, & votum caſtitatis in ea profeſſione factum, 10.

An conjuge revocante mortuo, ad religionem redire teneatur? Refertur quædam ſententia, 11.

Non tenetur redire, 12.

An ſemel revocatus teneatur egredi, ſi conjugem revocantem pœniteat revocationis, 13.

An conjux hic poſſit propria auctoritate redire, altero non repetente? Proponitur quædam ſent. 14.

Poteſt propria auctoritate exire, 15.

An volenti conjuge ſpoliato conſentire profeſſioni illi, poſſit profeſſus retrocedere, ac conjugem ſpoliatum repetere, 16.

Quando conjux ſic profeſſus permanere vult: quid relictus in ſæculo, volens conſentire, teneatur facere, 17.

An hoc dum vivit non conſentiente, poſſit ſtatim ei defuncto, conjux profeſſus reſilire, & an deſideretur in eo notitia nullitatis prioris profeſſionis, & nova acceptatio in ſuperiore, & novus novitiatus, 18.

Quid, quando ignarus mortis perſeveravit, & factus illius certior vult ſtatim exire? 19.

Si conſcius mortis perſtiterit in religione, an cenſeatur habere ratam priorem profeſſionem, 20.

Quid ſi conjux ſpoliatus vivens nec conſenſit, nec diſſenſit, ſed diſſimulavit? Remiſſive, 21.

Quid, ſi ſpoliatus dum viveret, conſenſerit, 22.

An conjux, ſine cujus licentia alter profeſſus eſt, poſſit eo invito profiteri, 23.

At ſi uterque conjux mutua licentia minime obtenta profiteatur, ſive conſcius ſive ignarus profeſſionis alterius, valeat profeſſio, neuterque alium revocare poſſit, 24.

1 Diſputationis hujus difficultas verſatur in intelligentia textuum *c. Quidam, & c. Placet, de converſ. conjug.* Nam eo *c. Quidam*, de viro profeſſo uxore contradicenti, ac ad ejus inſtantiam revocato, ſic dicitur: *Reſpondemus quod votum non tenuit, unde ratione voti ad monaſterium non tenetur redire: ulterius vero non poterit uxorem accipere: promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat: & ideo quoad hoc, votum tenuit.* Et *c. Placet de muliere, quæ virum defunctum credens profeſſa eſt, ac poſtea a viro revocata*, ſic dicitur: *Reſpondemus quod licet votum ejus uſquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare: promiſit enim intrando monaſterium ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius. Redire vero ad ſæculum non erat in ejus poteſtate, ſed in poteſtatem mariti, & ideo quantum ad ipſam tenuit votum. Conſultius itaque dicemus & ei congruentius, ad ſalutem, ut ad monaſterium redeat. Si vero ad hoc induci non poterit, ipſam invitam credimus non cogendam.* Quia in re id abſque controverſia eſt, profeſſionem illam minime habere vim voti ſolemnis profeſſionis. Id enim uterque textus fere expreſſe ait, dum eum conjugem non teneri ratione voti in monaſterio permanere, nec altero defuncto ad illud redire decidit. Et ratio eſt, quod conjux dominium ſui corporis minime habeat, quod illud in religionis dominium transferre valeat. Sicut eadem ratione, qua quis non eſt poſt profeſſionem ſui corporis dominus, nequit valide illud tradere uxori per matr. ut diximus diſp. 26. nu. 4.

2 2. Conſtat votum illud caſtitatis in ea profeſſione emiſſum habere vim voti ſaltem ſimplicis, & obligare conjugem in quantum ſe obligare potuit: nimirum, ut in eo matr. abſtineat ſe a debiti exactione, & eo per mortem ſoluto; ab alio matr. ineundo: & ab aliis quæ caſtitati promiſſæ adverſantur: at tenetur ad conjugem revocatus reddere illi debitum. Quod uterque textus n. præc. allegatus decidit, ac eam rationem reddit. Quod votum illud conjugem aſtrinxerit, quatenus ſe obligare potuit: at potuit ſe ad hæc obligare; cum ea non cedant in præſentis matrim. præjudicium. Quod ſi roges, cur votum hoc emiſſum in profeſſione irrita obliget, ut votum ſimplex caſtitatis, cum tamen votum factum in ordine ſacro valore carenti non obliget? dixi diſp. 27. num. 13.

Sunt tamen hæc intelligenda, niſi conjux ille emitteret votum caſtitatis in ea profeſſione dependenter ab illa, & ex fine immediate permanendi in religione. Tunc enim in virtute talis intentionis ad nil voluit obligari caſſata profeſſione illa. Quare ut profeſſionem irritam faciens maneat voto ſimplici ligatus, deſideratur intentio obligandi ſe independenter a profeſſionis valore. Atque eam intentionem præſumit jus, ubi de contraria non conſtat, ut patet ex *c. Quidam, & c. Placet, de converſ. conjug.* Sicut dum impuberes matrim. inepti illud ineunt, præſumit jus *c. unic. de deſponſ. impub. in 6.* voluiſſe ſe aſtringere quatenus potuerunt: ac proinde illud valere ut ſponſalia præſumit, quæ in eorum poteſtate erat contrahere, & in dubio intentionis credo ſtandum eſſe hac juris præſumptione, ut dixi lib. 1. diſp. 21. nu. 3. Conferunt ad hoc quæ dixi diſp. 32. num. 13. ex doctrina *Greg. Lop.* nimirum, conjugem voventem in ſæculo caſtitatem, ut alter poſſit religionem profiteri, hoc non profitente liberum manere a voto. Quod tacitam videatur habere conditionem, ſi profeſſio alterius, quæ finis ejus voti fuit, ſubſequatur. 3

Hinc deducitur caſu quo id votum caſtitatis obliget juxta num. præc. tradita, non eſſe fidem habendam aliquibus aſſerentibus, *c. Quidam, & c. Placet, de conv. conjug.* non negari conjugi invalide profeſſo, & ad alterum revocato, facultatem petendi humiliter debitum, ſed ſolam exigendi cogendo, quod uterque textus verbo, exigere, utatur: quod coactionem importat. Hi ſunt *Navar. ſumm. c. 12. n. 60. Enriq. lib. 12. de matr. c. 2 n. 9. & l. 11. c. 15 n. 9.* Quare concludit hic utroque loco immunem eſſe culpæ conjugem hunc petendo debitum, ſecus exigendo. Sicut conjux adulter poteſt ab innocente debitum petere: non vero exigere. Sed ſent. hæc diſplicet: quod valde diſpar ratio ſit; adulter enim privatur jure exigendi, in favorem innocentis, quo poteſt innocens cedere reddendo; ac proinde integrum eſt adultero ſupplicare, ut cedat, petendo humiliter corpus, non tanquam debitum: ſecus cogendo per exactionem. At conjux hic profeſſus privatur facultate exigendi, non in favorem relicti in ſæculo, cui hic renuntiare poſſit: ſed propter votum caſtitatis, quod obligavit in quantum potuit, ut uterque textus ponderat. At ligato caſtitatis voto, non tantum exigere, ſed petere debitum interdicitur. Quia petens immiſcet ſe voluntarie actui carnis, nec aſtrictus lege matr. quæ ſolam redditionem jubet. Ac proinde abſque dubio nec textus nec DD. negantes huic facultatem exigendi, vim faciunt in coacta petitione, cum voto caſtitatis valido innitatur. Et aliqui utuntur verbo, petitionis, dicentes non licere huic petere. Ita *Alberic in ſuo diction. lit. V. v. Votum 4. Henr. c. Uxoratus, n. 8. de conv. conjug. Palud. 4. d. 27. q. 3. art. 2. n. 15. Aſtenſ. 2. p. ſum. l. 8. t. 11. a. 2. q. 16. Jo. de Fribur. in ſumm. confeſſ. l. 1. t. 8. 49. & 50. Vincent. in ſpecul. doctrin. to. 2. l. 9. c. 91. Supplem. Gabr. 4. d. 31. q. 1. ar. 2. concl. 8. Sotus 4. d. 27. q. 1. ar. 4. col. penult. verſ. Caſus autem, Celaja 4. d. 32. q. 2. paulo poſt princ. Azor lib. 12. inſtit. moral. c. 1. q. 6. paulo poſt princ. Petr. de Led. matr. q. 64. ar. 4. dub. 1. concl. 1. Vega 2. to. ſum. c. 34. caſ. 104.* An vero alter conjux teneatur huic reddere? dicam diſp. 38. nu. 22. 4

2. Infertur, non audiendos eſſe qui dicunt matr. contractum ab hoc conjuge invalide profeſſo, & revocato, poſt alterius conjugis obitum fore invalidum. Quia licet votum caſtitatis ſolemne non fuerit, at quia fuit votum in certa religione approbata, habetur par ſolemni: eſtque ſufficiens ad irritandum ſubſequens matr. Ita *gl. c. Quidam, v. Non exigere, in priori reſponſo, de converſ. conjug. & ibi Hoſt. num. 1. in 1. reſponſo, & ibi Anton. n. 8.* Alii vero in alio extremo ſunt, dicentes integrum eſſe huic ſoluto eo matr. ad aliud tranſire. Sic *Anton. Gomez in expoſitione bullæ cruciatæ, clauſ. 10. n. 69.* Et inclinat in hanc partem *Angl. Florib. 1. p.* ubi de matrim. *q. 1. de eſſentialibus ipſius, d. 27. a. 3. diffic. 8.* & reddit rationem, eo quod votum fuerit nullum. At dicendum eſt, reum eſſe hunc culpæ lethalis tranſeundo ad aliud matr. tanquam violatorem voti ſimplicis caſtitatis: matr. vero ratum eſſe. Quia id votum non fuit ſolemne, ſed ſimplex. Et ita docent *gl. c. Agatho-ſa, v. Debeas, 27. qu. 2. Goffr. in ſum. tit. de converſ. conjug. n. 3. ſumm. eod. tit. n. 8. & c. Placet, eod. tit. n. 4. Innoc. dict. c. Quidam, n. 1. ſtatim in princ. Vincent. & Philip. ibi, Abbas ibi, n. 4. Card. n. 2. 11. in fin. Anchar. n. 4. q. 1. & n. 5. q. 2. ad fin. Alberic. in ſuo diction. lit. V. v. Votum, 4. Archid. c. 2. n. 2. & ibi Bellam. n. 3. 33. q. 5. Henric. dict. cap. Placet, nu. 8. & c. Uxoratus, n. 8. eod. tit. Brunel. de ſponſ. concl. 30. n. 10. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t. 11. ar. 2. q. 16. Jo. de Frib in ſum. confeſ. l. 1. t. 8. q. 50. Lex regia 12. t. 7. p. 1. & ibi Greg. Lop. v. Vale, Roſella v. Impedimentum, imped. 11. ad finem, princ. & v. Votum 2. n. 10. Angel. Matrim. 4. n. 15. Sylv. Votum 4. q. 2. dict. 4. Matrim. 8. q. 12. dict. 5. & v. Divortium, q. 16. caſ. 3. Navar. ſum. c. 12. n. 60. & lib. 3. conſ. tit. de converſ. conjug. in priori edit. conſ. 4 in poſteriori, conſ. 5. num. 4. Barb. rubr. ff. ſolut. matrim. 3. p. num. 101. Lancel. inſtit. juris can. lib. 12. tit. de divort. §. Quæſitum tamen eſt, v. Non poterit.* Et ex Theologis, *Vincent. 2. tom. in ſpecul. doctrin. l. 9. c. 91. Durand. 4. d. 32. q. 2. nu. 7. Palud. ibi, q. 2. art. 3. n. 22. & d. 38. q. 4. art. 2. num. 29. & d. 37. q. 3. art. 2. n. 19. Palac. 4. d. 32. diſp. 2. col. 9. verſ. Verum ſi contraxerit, Enriq. lib. 12. de matrim. c. 5. n. 10. Azor l. 12. inſt. mor. c. 1. q. 3. §. Si quæras, Lod. Lop. 2. p.* 5

inſtruct. ubi de matrim. cap. 54. col. antep. Vega 2. tom. ſum. cap. 34. caſ. 104. Cannedo ſumma Sacram. ubi de matr. c. 7. nu. 54. Quod idem clare docet Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. cap. 239. n. 4. ait enim votum hoc obligare tanquam ſimplex caſtitatis. Et hunc peccare, quamvis ſubticeat, valeat matrimonium, necne, docent etiam D. Bonav. 4. d. 27. in expoſitione litt. num. 4. Riccardus ibi, art. 2. quæſt. 4. Sot. ibi, quæſt. 1, ar. 4. col. penult. verſ. Caſus autem. Monald. ſum. ubi de voto, tit. De votis conjugatorum, verſ. Item ſi alter conjugum, Celaja 4. diſt. 32. quæſt. 2. paulo poſt princ. Temperat Innocen. eodem cap. Quidam, in fine, prædictam ſentent. quatenus ait valere matrim. poſtea initum, ut intelligatur, niſi conjux ille profeſſus in ipſo ingreſſu voviſſet continentiam. Quamvis enim ſolus ingreſſus abſque licentia non ſufficiat ad reddendum id votum ſolemne: at ſufficit, quando ſimul in ingreſſu fuit emiſſum votum. At caret fundamento hæc limitatio. Quia votum ſolemne eſſe nequit, niſi in ordinis ſacri ſuſceptione, aut approbatæ religionis profeſſione, cap. unic. de voto, in 6. Hæc autem non fuit vera profeſſio. Et ideo non video, qua ratione poſſit id votum ſolemne effici, ac efficax ad ſubſequens matrimonium dirimendum.

6 3. Infertur, integrum eſſe conjugi, abſque cujus licentia profeſſio facta fuit, ſic profeſſum revocare, quod univerſi fatentur, & expreſſe habetur cap. Quidam, & cap. Placet, de converſ. conjug. Quippe nequit invitus jure ſuo expoliari. Idque placet, etſi communi conſenſu ambo voviſſent caſtitatem. Quia tunc etiam non licet ſine licentia tranſire, ut probabo l. 10. diſp. 37. num. 14.

7 Non tamen licet rapere de religione, ſed auctoritate judicis extrahere. Quamvis enim viro fas ſit, de vico ad domum uxorem reducere, quod in eam jus correctionis habeat: at non poſſet eam privato quaſi poſſidenti vi eripere nedum monaſterio. Nec obſtat cap. cum Cauſa, de raptor. ibi enim narratur raptus, at non approbatur. Atque ita docent Palud. 4. d. 27. quæſt. 3. a. 2. n. 15. Sylv. verb. Divortium, q. 14. ad finem.

8 Potiſſima autem difficultas in hac diſp. eſt, An votum illud religionis emiſſum in ea profeſſione irrita vim aliquam obligandi ſortiatur, ſaltem voti ſimplicis religionis? Quidam enim videntur affirmare vim obligandi habere inſtar voti ſimplicis ingreſſus religionis; ſicut votum illud ſolemne caſtitatis non obligat ut ſolemne, ſed tanquam ſimplex. Et poteſt probari, quia quamvis ea profeſſio non potuerit vim voti ſolemnis religionis habere, defectu dominii in conjuge ad alienandum ſe in monaſterium: at potuit valere ut votum ſimplex, quod ſolam promiſſionem ingreſſus tempore habili importat. Atque ita ſuccedet regul tradita cap. unico, de deſponſat. impuber. in 6. ſi non valeret actus ut ago, valeat eo modo, quo valere poteſt. Qua ratione id votum caſtitatis, quod voti ſolemnis vim habere non potuit, obligat omni modo poſſibili, nimirum ut votum ſimplex. Non enim ratio aliqua diſcriminis inter hæc vota apparet. Quod ſi dicas, votum caſtitatis eſſe dividuum, non autem religionis. Obſtat votum religionis eſſe quoque dividuum quoad tempus obligationis; atque ita non aſtringit pro eo tempore quo conjux diſſentiens ſuperſtes fuerit, obligabit tamen eo vita functo ad religionem. Sicut votum caſtitatis admittit eamdem temporis diviſionem, cum non obliget vivo altero conjuge ad integram continentiam, ad quam poſt ejus obitum aſtringit, ut probavimus nu. 5. Et ideo hujus ſentent. ſunt Calder. cap. 1. de converſ. conjug. & ibi Abbas n. 7. & c. Conſuluit, in fin. eod. tit. Aſtenſ. 2. part. ſumm. lib. 8. tit. 11. ar. 2. q. 9. fin. Brunell. de ſponſalib. concl. 30. n. 9. Sylveſt. verb. Divortium, q. 16. caſ. 3. Palacios 4. diſt. 27. diſp. 2. col. pen. & finali, ubi ajunt profeſſionem hanc ſemper tenuiſſe, quatenus obligat ipſum profitentem ad manendum perpetuo in religione, ſecus quoad præjudicium conjugis alterius, cui integrum eſt revocare. Et dicit probabile Henricus cap. Placet, n. 5. de converſ. conjug. Ejuſdem ſententiæ eſt Anton. eod. c. Placet, n. 5. ubi ait, hanc profeſſionem non aſtringere in foro externo, ſecus in foro conſcientiæ. Et videtur tenere Emmanuel Sa ſumma, verb. Religio, n. 33. ubi indiſtincte ait, profeſſionem illam habere vim voti ſimplicis. Et ejuſdem ſententiæ videntur Doctores, quos n. 11. 14. & 18. referam, aſſerentes hunc profeſſum non poſſe propria auctoritate egredi: & revocatum a conjuge teneri eo mortuo redire: & non revocatum in vita minime poſſe poſt mortem reſilire. Hæc enim omnia eo innituntur, quod hæc profeſſio ſaltem vim habuerit obligandi ad religionem, inſtar voti ſimplicis religionis.

9 Alii videntur ſentire, id votum religionis vim obtinuiſſe obligandi, & revocatione facta per conjugem, abſque cujus licentia factum eſt, vim illius amitti, quaſi revocatio illa ſit irritatio voti. Hujus ſententiæ videntur Abbas cap. Quidam, nu. 4. de converſ. conjug. Et ibi Carden. n. 2. oppoſit. 4. Roſella verb. Impedimentum, impedimen. 11. ad fin. princ. Sylveſt. Matrimonium 8. q. 12. diſt. 5. ubi ajunt per revocationem conjugis ſolutam eſſe obligationem, ſi qua erat ex parte profeſſi cum monaſterio contracta. Idem videtur ſentire Angelus Matrimonium 4. n. 14. ubi ait, hunc revocatum non teneri ad religionem redire, quod obligatio ſemel extincta non reviviſcat. Et ejuſdem ſentent. ſunt alii quos lib. 9. diſp. 39. n. 36. referam, dicentes eam revocationem fuiſſe voti irritationem.

10 Ceterum exiſtimo, id votum religionis omnino fuiſſe irritum. Ducor, quod id forte expreſſis verbis decidatur, c. Quidam, de conv. conjug. ibi: Votum non tenuit, unde ratione voti non tenetur ad religionem redire. Et confir. quia is textus conſtituit diſcrimen inter votum caſtitatis, & permanendi in religione: quod illud partim obliget, nimirum, quatenus vovens in ſui præjudicium obligare ſe potuit: partim autem minime obliget, nempe quatenus vergit in præjudicium conjugis ſpoliati: hoc autem non teneat. At ſi partim teneret, partim autem non, nullum eſſet diſcrimen. 2. quia neſcio qualiter aſſeri poſſit, eam profeſſionem valuiſſe tanquam votum ſimplex religionis, at revocatione conjugis vim illam obligandi caſſatam eſſe: ut volunt auctores num. præc. allegati. Quia eadem ratione dicendum eſſet votum id caſtitatis irritatum fuiſſe, eo vel maxime, quod c. Placet, de conv. conjug. uxor fuit, quæ abſque viri licentia profeſſa eſt, & ab ipſo revocata, quem probabile ſatis eſt, poſſe omnia uxoris vota irritare: & ipſe ſimpliciter revocavit: unde non eſt, cur dicatur votum religionis omnino irritatum, non autem votum caſtitatis: præcipue quia votum religionis, quoad obligationem illud implendi poſt mariti revocantis obitum, non videtur in mariti præjudicium: at votum caſtitatis manens quoad obligationem non petendi debitum, cedit in viri detrimentum. Quippe cogetur ſemper petere debitum, ſolicitus eſſe de tacita uxoris voluntate conjectanda ac exploranda, ut ipſe vitans ejus incontinentiæ periculum reddat. Et ipſa ſtimulis conſcientiæ urgebitur, dubitans, an tacite petat, necne, ac proinde votum violet. Si ergo votum illud caſtitatis nullo modo irritatum eſt, cur id de voto religionis aſſerendum erit? 3. quia dict. c. Quidam, uxor fuit, quæ virum profeſſum revocavit. Quam tamen valde dubium eſt, an poſſit aliquod viri votum irritare: & certum eſt minime poſſe, quando in ſuum præjudicium non redundat. Quale eſt votum illud religionis, viri, quatenus obligaret ad redeundum in religionem mortua uxore. 4. quia textus dict. c. Quidam, expreſſe ait, votum religionis non tenuiſſe, loquens de præterito; & ideo ſubjungit, virum non teneri ad religionem redire. At ſi irritatio ſola votum enervaſſet, dicendum eſſet votum tenuiſſe, at revocatione caſſatum: nec defectus obligationis redeundi ad monaſterium adſcribendus eſſet nullitati voti, ſed ipſius irritationi. 5. Quia matrimonium initum a conjugato, vivente ejus conjuge, nullam prorſus vim obligandi habet, quod cum ſui dominio careat, id nequeat valide in alium transferre. Ergo nec profeſſio conjugati, quantum ad obligationem ad religionem. Quia in utroque caſu eſt alienatio ſui contra domini voluntatem. Sed reſpondet Abbas c. Conſuluit, n. 2. de converſ. conjug. diſparem eſſe rationem. Quia ingrediens religionem, ſemper videtur ingreſſus cauſa divini obſequii, ac in melius vitæ commutandæ. At ſecundas nuptias prioribus non diſſolutis celebrans, pravo affectus eſt animo, nec intendit matrimonium perficere, ſed potius fraudare. Sed hæc ſolutio non exhaurit difficultatem. Quia ſi eo matrimonio durante conſenſu alterius conjugis eſt inhabilis abſque licentia ſocii ad profeſſionem emittendam, recta ejus intentio nil prorſus confert. Sicut non conferret, ut ex ſecundo illo matrimonio vis aliqua obligandi conſurgeret. Ut ſi bona fide illud iniret, ſufficienti atteſtatione fide dignorum deceptus circa mortem prioris conjugis. Quod ſi petas rationem diſcriminis inter votum caſtitatis, & religionis in ea profeſſione factam, ob quam illud partim obliget, hoc autem ſit prorſus obligandi vi deſtitutum, ea cenſeo eſſe. Quippe votum caſtitatis non emittunt per modum unius, & cujuſdam rei individuæ: ſed continet obligationem dividuam, id eſt, quæ commodam diviſionem patitur: cum ſuapte natura obliget ad abſtinendum illicito concubitu & conjugali, & matrimonio ineundo, qui actus commode ſecerni poſſunt. Unde jure optimo interpretatur Eccleſia, dividendam eſſe hanc obligationem, ut tempore, quo tota hæc obligatio non potuit conſurgere ex voto ob matrimonii impedimentum: ea ſaltem oriatur, cui lex matrimonii prius initi non adverſatur. Nec eſt verum, obligationem hanc dividi quoad tempus: ſed ſtatim obligat ad omnes actus, quos vinculum fortius conjugii patitur. Sicut ſi quis emiſſo caſtitatis voto uxorem ducat, quamvis conſtante matrimonio teneatur reddere, non eſt dicendum obligationem diviſam eſſe quoad tempus, ſed ſemper aſtrinxit ad omnes actus: impeditur autem ad tempus ratione vinculi fortioris. At vero obligatio permanendi perpetuo in religione ſub obedientiæ jugo, in qua conſiſtit votum religionis in profeſſione factum, dicit obligationem quamdam individuam ad unicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in religione; atque adeo ſi tunc temporis obligatio induci non potuit, eſt omnino irrita. Neque enim quoad tempora dividenda eſt. Quia obligare ſe religioni de præſenti, non claudit temporum diſtinctionem: ſed ex tunc eſt perpetua obligatio per modum unius. Veluti qui cum ſit conjugatus, init aliud matr. obligat ſe de præſenti, & per modum unius ad vitam perpetuam conjugalem, & quia pro tunc eſt inhabilis, nullam vim habet contractus ille, nec matrimonii nec ſponſalium, quod ad utrumque ſit inhabilis. Secus quando impuberes contrahunt matrim. cum enim ſint ſponſalium capaces, valet ut ſponſalia. Sic igitur cum conjugatus ſit pro tunc inhabilis ad tradendum ſe religioni, ſive voto ſimplici, ſive ſolemni; utrumque enim obligat ipſum ad ſeparationem perpetuam a conjuge, inde eſt profeſſionem illam nec valere ut votum ſolemne, nec ut ſimplex. Et hinc conſtat ſolutio fundamenti contrarii nu. 8. propoſiti. Hujus ſent. videntur gl. cap. Agathoſa,

verb.

v. Debeas 27. q. 2. Sotus 4. d. 27. q. 1. art. 4. col. pen. verſ. Caſus autem, Lancel. inſtit. juris can. l. 2. de divort. §. Quæſitum tamen eſt, v. Teneri, ubi abſolute dicunt id votum non tenuiſſe reſpectu ingreſſus religionis, Et fere expreſſe tenent Innocent. eod. c. Quidam, ſtatim in princ. & ibi Jo. Andr. n. 3. ubi explicantes eum textum, in quantum dicunt votum religionis non tenuiſſe, dicunt non tenuiſſe quoad hoc quod ſit in monaſterio, cum non eſſet perſona idonea ad intrandum; at valuiſſe quoad non exigendum debitum. Et clarius Ant. eod. c. Quidam, nu. 8. ubi ait, profeſſionem illam non obligare quoad paupertatem & obedientiam, ſed ſolum quoad partem caſtitatis. Et n. 6. expreſſe ait, id votum valere ut caſtitatis, non ut religionis. Et videntur etiam tenere D. Bonav. 4. d. 27. in expoſit. lit. n. 4. & Manuel 1. to. ſum. 2. edit. c. 239. n. 4. ubi dicunt, id votum non obligare ad religionem. Et favent DD. aſſerentes poſſe hunc propria auctoritate egredi: ac non teneri poſt conjugis obitum redire ad religionem: quos referam num. 12. & 13.

11 Hinc deducitur ſolutio illius quæſtionis, an conjux abſque licentia alterius profeſſus teneatur ab ipſo revocatus, redire poſt ejus obitum ad religionem? Gloſſ. c. Quidam, v. Non tenetur, de converſ. conjug. affirmat eum ad id teneri, ac peccare non redeundo, & eum textum expreſſe dicentem non teneri redire explicat, id eſt, non eſſe cogendum ab Eccleſia: atque ita cap. Placet, eod. tit. loquens in eodem caſu dixit inducendum eſſe redire, non tamen cogendum. Et gloſſam ſequuntur Hoſtienſ. eod. c. Quidam, paulo poſt princ. ſuper v. Non tenetur, Ant. c. Placet, n. 5. eod. t. Alberic. in ſuo diction. lit. V. v. Votum 4. Hugo, c. Agathoſa 27. q. 2. & ibi Archid. ad fin. & ibi Bellam. in fin. Monal. ſum. ubi de voto, t. De voto conjug. v. Item ſi alter conjugum. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t. 11. art. 2. q. 9. fin. & q. 16. Jo. de Friburg. ſum. confeſſ. l. 11. t. 8. q. 50. Sylveſt. v. Divortium, q. 16. caſ. 3. Lex reg. 12. t. 7. p. 1. Et ex Theologis ita docent Palud. 4. d. 27. q. 8. ar. 2. n. 16. Vincent. 2. tom. in ſpeculo doctrin. l. 9. c. 91. Et hanc culpam eſſe lethalem tradunt Alberic. Archid. Bellam. Sylveſt. Vincent. ibid. & dicit eſſe probabile Henric. c. Placet, nu. 5. de converſ. conjug. Imo hunc poſſe cogi redire ad religionem, non ad petitionem monaſterii, cui ſe ſubjicere non potuit, ſed ex Epiſcopi officio, cujus eſt cogere a peccato reſilire, teſtantur Hugo Archid. Bellam. Alberic. Vincent. Aſtenſ. eadem qu. 9. in fin. Et ita interpretantur dict. c. Placet, dum ait hunc non eſſe cogendum, ut intelligatur ad monaſterii inſtantiam, ſecus ex judicis officio, quod etiam cenſet eſſe probabile Henric. ibidem. Ducuntur, quod id votum religionis non ſit omnino irritum, ſed vim obligandi habuerit, quantum eſt ex ſe, quæ impedita fuit vinculo conjugali: ac proinde obſtaculo ceſſante tenetur conjux id votum ſervare, ad religionem redeundo.

12 Sed dicendum eſt hunc a culpa immunem eſſe, quamvis ad religionem non redeat. Ducor, quod id expreſſe videatur decidi c. Quidam, de conver. conjug. ubi aſſeritur hunc poſt conjugis obitum non teneri ad religionem regredi. Culpa ergo vacat non rediens. Quia ubi obligatio non eſt, tranſgreſſio nullam culpam inducit. Deinde, quia cap. Placet eod. tit. ſolum dicitur conſultius & congruentius ad hujus ſalutem fore, ut ad monaſterium redeat. At ſi id præceptum eſſet, non conſultius & congruentius ad ſalutem vocaretur, ſed neceſſarium. Quid enim abſurdius poſſet dici, quam congruentius eſſe ad ſalutem, non fornicari, votum obſervare, ac reliqua præcepta? Tandem, quia votum illud religionis fuit prorſus irritum (ut nu. 10. probavimus,) Et ideo hunc conjugem non redeuntem minime peccare docent Ant. d. c. Quidam, n. 6. & ibi Abb. n. 4. Card. n. 2. oppoſ. 4. Brunel. de ſponſal. concl. 30. n. 10. Roſell. v. Impedimentum, imped. 11. ad fin. princ. Sylv. Matrim. 8. q. 12. diſt. 5. Lancel. inſtit. juris canon lib. 12. tit. De divortiis, §. Quæſitum tamen eſt, v. Teneri. Et fere expreſſe hoc ſentiunt alii dicentes hunc non teneri ad religionem regredi (conſulto dico fere expreſſe: quia poſſet quiſquam cavillari hos auctores nil amplius expreſſiſſe quam textum, dict. c. Quidam, dicendum etiam non teneri: atque ita explicandos eſſe, id eſt, non cogendum: ut contrarii explicant textum.) Hi ſunt Supplem. Gabr. 4. d. 32. q. 1. a. 2. concl. 8. & ibi Celaja q. 2. paulo poſt princ. Angel. Matrim. 4. num. 14. Sylveſt Votum 4. q. 2. diſt. 4. Palacios 4. d. 32. diſp. 2. col. 9. verſ. Eſt autem, f. 718. Angl. florib. 1. part. de matr. q. 1. de eſſential. illius d. 27. ar. 3. diffic. 7. Beja in ſua ſum. caſ. 49. §. Facit pro hac opin. Cannedo ſumm. ſacram. ubi de matr. c. 7. n. 54.

13 2. Deducitur non eſſe audiendos Palud. 4. d. 27. q. 3. a. 2. n. 16. & Sylv. v. Divortium, qu. 16. caſ. 2. aſſerentes hunc conjugem ſine licentia profeſſum, & ab altero revocatum, teneri ad religionem redire, ſi conjugem revocantem pœniteat poſtmodum revocationis. Quorum ſententia ex dictis nu. præced. reprobatur. Si enim poſt mortem; quando omnino ceſſavit obſtaculum non tenetur redire; eo quod votum non ligarit, cur poſt ſolam revocantis pœnitentiam aſtringendus ad reditum eſt? Atque ita tenentur dicere omnes DD ibi relati.

14 3. Deducitur, an conjux ille ſine licentia profeſſus poſſit propria auctoritate religionem deſerere, altero non repetente? Quod licere negat gloſ. c. Placet, v. In ejus poteſtate, de conver. conjug. per illum textum, ibi: Redire vero ad ſæculum in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti. Ubi clare deciditur uxori abſque viri licentia profeſſæ non eſſe integrum ad ſæculum regredi: ſed ſoli marito jus revocandi concedi. Idem docent Anton. ibi, num. 11. Abbas num. 3. Palud. 4. d. 27. q. 3. art. 2. Supplementum Gabrielis 4. d. 32. q. 1. art. 2. concl. 9. Sylveſt. v. Divortium, q. 14. ſtatim in princ. Navarr. lib. 3. confeſſ. tit. de converſ. conjug. in priori edit. conſ. 3. n. 3. & 4. in poſteriori, conſ. 6. n. 3. & 4. Enriquez lib. 12. de matrim. c. 5. n. 10. Emm. Sa ſumm. v. Religio, n. 33. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 239. n. 3. Vega 2. tom. ſum. c. 34. caſ. 104. Et loquuntur caſu quo uxor bona fide profeſſa eſt: quod vir ſe mortuum finxerit. Navar. Manuel, Vega, & adhuc negant licere propria auctoritate egredi.

Contrarium tamen mihi perſuadeo, quod nullius valoris 15 fuerit votum illud religionis, ut probavi n. 10. Deinde, quia aliqui, quos retuli diſp. præc. n. 10. ajunt de licentia alterius conjugis profeſſum, non ſervatis jure petitis ad licitam profeſſionem, quamvis vere profeſſus ſit, poſſe propria auctoritate exire, ne in peccato perſiſtat præbens alteri incontinentiæ anſam, quod licet in eo eventu reprobarim ob profeſſionis valorem, & ſpontaneam alterius licentiam, cujus ratione nullam paſſus eſt injuriam: at in hoc caſu militat fortiter ea ratio. Conjux enim abſque alterius licentia poſt conſummatum matrimon. profitens, eſt reus injuſtitiæ lethalis, inſtar rei alienæ raptoris, quod ſi bona fide profeſſus ſit, exiſtimans alterum obiiſſe, aut abſque ejus conſenſu id ſibi licere, excuſatur a culpa per ignorantiam: at veritatis certior factus, habebit ſe in poſterum inſtar rei alienæ bona fide poſſeſſoris, jam rem alienam eſſe cognoſcentis. At uterque tenetur ſtatim reſtituere, nec opus eſt ut verus dominus repetat: niſi liquido conſtet retentionem eſſe ex illius conſenſu. Ergo ut injuriam illatam reſarciat conjugi ſpoliato, poterit hic propria auctoritate exire: imo & tenebitur, ſi commode poſſit. Quare optime Sotus 4. diſt. 27. qu. 1. art. 4. col. penult. verſ. Caſus autem, dixit teneri hunc egredi, ac ſe conjugi reſtituere, quantumvis bona fide profeſſus ſit. Præterea, quia hoc videtur colligi ex c. Accedens, de converſ. conjug. ubi Pontifex narrat virum de licentia uxoris metu extorta profeſſum exiiſſe, nec illi aſcribit exitum culpæ. Et melius cap. 2. quod eſt ex Alexand. II. 33. qu. 5. ubi idem factum non reprehenditur, ſed clare videtur approbari, ibi: Non enim violentia, ſed ex pari voluntate & conſenſu hoc fieri debet. Unde gloſſ. fine, ibi mota hac quæſtione, dicit videri ex eo textu elici, fas eſſe conjugi abſque licentia profeſſo, reſilire propria auctoritate. Idem colligitur ex c. Una ſola, 33. qu. 5. quod eſt ex D. Auguſt. in Ep. 45. ibi: Nam & vovenda talia non ſunt à conjugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi: & ſi præpoſtere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio. Ubi gloſſ. v. Corrigenda, ait inde ſumi argumentum, ad comprobandum poſſe conjugem, qui abſque licentia profeſſus eſt propria auctoritate exire. Tandem, quia præſumi nequit conſenſus conjugis ſpoliati, ex ſola non repetitione. Tum, quia ſola ejus voluntas non ſatis eſt ad licitum ingreſſum, & ad perſeverandum: ſed ſaltem deſideretur votum caſtitatis in permanente in ſæculo: (ut dixi diſp. 32. n. 14.) & in dubio non credendum eſt alterum ſe velle voto ligare: ac poteſt etiam præſumi non revocare gratia vitandæ litis, aut ignorantia juris ſibi competentis, ut timore, quod ſi conſtaret poſſe eum commode reclamare, & tamen diſſimulat: dicendum eſt diſp. ſeq. Nec obſtat textus, nu. præc. alleg. in contrarium: nam manifeſta mens ejus textus eſt, non eſſe in poteſtate uxoris in religione manere, atque ita redire ad ſæculum non eſſe in ejus poteſtate, accipiendum eſt, id eſt, deſerto marito profiteri, nec redire ad priſtinam conjugalem vitam, quod ex ratione textus colligitur, intendit enim probare votum religionis non tenuiſſe: at caſtitatis partim tenuiſſe, quod in ejus poteſtate ſit abſtinere a debiti exatione: quod ad votum caſtitatis pertinere conſtat; At manere in religione, quod attinet ad religionis votum, non ſuberat ejus poteſtati, ſed mariti: alias ratio illa frivola eſſet. Et ideo hujus ſent. ſunt duæ gloſſæ proxime allegatæ. Innoc. c. Quidam n. 3. de converſ. conjug. Abbas c. Accedens, n. 3. eod. tit. Archid. cap. 2. fin. & ibi Bellam. fin. 33. q. 5. Henriq. c. Uxoratus n. 8. eod. tit.

4. Deducitur deciſio ejus difficultatis, an conjuge, ſine cujus licentia profeſſio facta eſt, conſenſum præſtante illi profeſſioni, reddatur ea valida, nec integrum ſit profeſſo illi reſilire? Gloſſa, c. Mulier, el. 1. v. Conjugium 33. q. 5. ait huic profeſſo non licere exitum. Ducitur ex cap. de eo, qui duxit in matrim. ubi deciditur virum, qui viva uxore contraxit cum alia rei inſcia, non audiendum eſſe, ſi poſt uxoris mortem, divortium a poſteriori petat, niſi hæc velit: ne ex proprio dolo commodum reportet. Eam ſequuntur. Turrecremata ibi, n. 1. Henricus cap. Uxoratus, nu. 8. de converſ. conjug. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 6. in comment. fin. Navar. Manuel, Vega, quos n. 14. retuli, advertens eos loqui, etiam caſu, quo profeſſio ſit facta bona fide. Sed probabilius eſt, eum poſſe in foro conſcientiæ exire, non obſtanti conſenſu manentis in ſæculo, & poſſe hunc ab illo repeti, quod affirmat Innoc. & Turrecr. in caſu fortiori, (ut retuli diſp. præc. n. 15.) nimirum, quando de licentia conjugis manentis in ſæculo, nullo voto ligari alter profeſſus eſt. Quos quamvis ibi reprobarim, eo quod in eo eventu profeſſio ſit valida; at cum in hoc fuerit irrita, habebit locum ea opinio. Ducor, quod ea profeſſio ſemel irrita nequit tractu temporis convaleſcere, abſque nova ratificatione, nec obligavit ut ſimplex religionis votum (ut n. 10. probavi) Nec poteſt dici eam profeſſionem non fuiſſe omnino caſſam, ſed ex futuro eventu pen-

dentem

dentem. Quia profeſſio non poteſt eſſe in pendenti, nec Eccleſia poteſt ſupplere conſenſum, ut valida efficiatur profeſſio, teſte *Nav. l. 3. conſ. int. de reg. in 1. edit. conſ. 32. n. 5. in conſ. 31. n. 5.* nec poteſt emitti ſub conditione de futuro: in quo diſtant matr. carnale & ſpirituale, teſte *Everardo loco a matr. carnali ad ſpirit. nu. 10. in quarta differentia, ex iis quas ibi inter utrumque matrimonium conſtituit*. Quare vel tunc debet profeſſio habere ſuum omnimodum valorem & efficaciam, aut valore carere, quando fuit emiſſa. Cum igitur tunc nullam obligandi vim ſortita ſit, non poteſt convaleſcere accedenti novo conjugis relicti in ſæculo conſenſu, niſi profeſſus ipſe denuo ratificet. Dixi autem in foro conſcientiæ non teneri. Quia ſi ille decepiſſet religionem tacens conjugium, & accedenti conſenſu alterius conjugis nollet ratificare priorem profeſſionem, poſſet religio eum cogere in foro externo. Et hoc probat, *c. 1. de eo, qui duxit in matr.* quod gloſſa pro contraria opinione retulit. An in foro conſcientiæ ſicut religio cognita veritate non tenetur eum retinere, utpote qui vere profeſſus non eſt: ita poteſt ipſe ceſſante ſcandalo exire, ut contractus utraque ex parte æqualis ſit, ut late probavi contra alios lib. 4. diſp. 15. nu. 5. Hoc etiam amplius conſtabit ex dicendis num. 23.

17 Quod ſi profeſſus ille velit ratificare profeſſionem: an conjux manens in ſæculo conſenſum præſtans teneatur quoque ingredi: an potius ſatis ſit ſolum caſtitatis votum? dixi diſp. 32. num. 14.

18 5. Deducitur, quid in ea quæſt. judicandum ſit, an conjux ſine alterius licentia profeſſus, nec ab eo in vita revocatus, poſſit eo defuncto egredi? Et ut clare procedamus, poteſt quæſtio hæc in quintuplici caſu diſcuti. Primus eſt, quando conjux ſpoliatus nunquam expreſſe aut tacite conſenſit. Quia aut ſemper reſtitit, aut ſemper ignoravit, aut ſi ſcivit, nec reclamavit, non potuit commode reclamare: & ipſe profeſſus ſtatim ac conjux alter mortuus eſt, voluit exire. Secundus, quando ignarus mortis perſeveravit, atque ſtatim ac illius conſcius fuit, reclamavit. Tertius, quando conſcius mortis perſtitit in religione, ac poſtmodum reſilire vult. Quartus, ubi conjux ſpoliatus profeſſionis conſcius, potenſque reclamare commode, non revocavit, nec conſenſit, ſed tacuit ac diſſimulavit. Quintus, quando ſpoliatus expreſſe conſenſit, nec profeſſus exivit, & poſt mortem ſpoliati vult egredi. Et in primo caſu plerique affirmant eum profeſſum egredi non poſſe. Ita affirmant *Calder. cap. 1. de converſ. conjug. & ibi Abbas n. 7. & c. Conſuluit, in fin. & c. Placet, n. 3. eod. tit. Card. c. Ex parte, el. 1. n. unic. oppoſit. unica, verſ. Sed pro intellectu, eod. tit. Majoris 4. d. 32. q. 2. §. Pro illa rubrica; & ibi Supplementum Gabr. q. 1. art. 2. concl. 8. Brunel. de ſponſal. concl. 30. num. 9. Roſella verb. Impedimentum, impedim. 11. paulo poſt princ. Angelus Matrimonium 4. n. 13. Sylv. Matrimonium 8. q. 12. dict. 4. & 5. & v. Divortium, q. 14. & qu. 16. fine, Azor lib. 12. inſtit. moral. cap. 1. q. 6. §. Si quæras*. Atque ea removentur ratione, quia ex quo profeſſus ille revocatus non eſt altero ſuperſtite; eo vita functo efficitur incontinenti omnino valida prior profeſſio: eo quod ablatum ſit obſtaculum ejus firmitati adverſum. Quare non innituntur hi Auctores ratificatione prioris profeſſionis facta poſt alterius conjugis obitum: ſed quod prior illa profeſſio fuerit ex parte profeſſi valida, impeditus tamen erat firmus, & omnino efficax illius valor ob conjugii impedimentum, quare ceſſante eo obſtaculo per alterius mortem, conſequitur omnimodam firmitatem. Inſuper probatur ex *c. Conſuluit, de conver. conjug.* ubi conſultus Pontifex de conjuge, qui profeſſus eſt, manſitque in religione uſque ad uxoris mortem, an poſſit exire, & uxorem ducere, ductamque retinere? ſic ait: *Reſpondemus, quod prædictus vir, nec habitum, poteſt abjicere, quem aſſumpſit, neque aliquam ſibi matrimonio copulare: quod ſi contraxerit matrimonium, decernimus dirimendum*. Quod ſi reſpondeas cum *gloſ. ibi, v. Tranſiens, & v. Dirimendum*, intelligi textum, quando de licentia uxoris, quæ ſenex erat, vel promiſit vitam mutare, profeſſio eſt facta, vel ipſe poſt mortem uxoris ratam habuit, *Abbas dict. c. Conſuluit, nu. 1. in fin.* reprehendit hunc intellectum, dicens fundamento carere ad conjectandum interfuiſſe eum uxoris conſenſum: & vanam fuiſſe in eo eventu conſultationem, tanquam omni dubitandi ratione carentem. Verum gloſſa citata in ea eſt opinione, ut ſit neceſſaria nova ratificatio ad valorem illius profeſſionis, quando abſque licentia emiſſa eſt. Et *Angelus Matrimonium 4. n. 16.* ait valere matr. contractum ab eo profeſſo, qui ſtatim morte cognita egreſſus eſt, licet peccet ob votum ſimplex caſtitatis: & ita ſenſit profeſſionem illam minime reſtaurari, nec vires aſſumere ex alterius conjugis morte, niſi nova ratificatio profeſſi accedat. Quod ego mihi omnino preſuadeo, quod illa profeſſio fuerit prorſus irrita, in ratione etiam voti ſimplicis religionis (ut num. 10. defendi.) Quare cum prior conſenſus fuerit omnino irritus, tanquam in perſonam illegitimam & inhabilem cadens, opus eſt eum iterari, (ut probavi lib. 2. diſp. 35. nu. 2.) Non igitur ſatis eſt mors conjugis abſque nova ratificatione. Quare credo hunc poſſe ſcandalo ceſſante, propria auctoritate fugere (ut in ſimili dixi nu. 15.) utpote qui nec vere profeſſus eſt, nec aliquo religionis voto aſtrictus. An vero ea nova ratificatio deſideret ſcientiam nullitatis prioris profeſſionis, novamque ſuperioris acceptationem, ac novitiatum iteratum? id diſp. 37. diſcutiemus. Non obſtat *c. Conſuluit*, pro contraria parte allegatum. Quia diſp. ſeq. ejus intellectus enodandus eſt.

In 2. caſu, nimirum, quando conjux ignarus mortis alte- 19
rius, nunquam ſuæ profeſſioni conſenſum præſtantis, perſtitit in religione, ac ſtatim illius certior factus eſt, vult exire; quidam ea diſtinctione utuntur. Si conjux ille bona fide profeſſus ſit, ignorans impedimentum ſuæ profeſſionis, ratificatur ex ſola alterius morte, ſive a ſe ſcita, ſive ignorata: ſecus ſi mala fide, tunc enim ignorata morte non ratificaretur, ſed cenſeretur in priori conſenſu irrito reſiſtere. Ita docet *Innoc. c. Quidam, n. 2. de converſ. conjug. juncto c. 1. n. unic. verſ. Vel dic, de eo, qui duxit in matr.* ubi ita diſtinguit, in matrimonio prius irrito; & ad eam diſtinctionem ſe remittit *eod. cap. Quidam*. Et ipſum ſequitur *Hoſtien. eodem cap. Quidam, n. 3.* & ratificari indiſtincte eam profeſſionem, ſive conjux ſciverit mortem, ſive ignorarit, tenet *Abbas c. Conſuluit, in fine, de converſ. conjug.* Et idem ſuſtinebunt Auctores, num. præced allegati, qui ut ea profeſſio convaleſcat, ſolam impedimenti conjugii ceſſationem petunt. At eam profeſſionem minime convaleſcere ignorante conjuge mortem alterius, tenet *Innocent.* ſibi contrarius, *c. Conſuluit, in fine, de converſ. conjug.* (ſibi enim eſſe contrarium ajunt *Joan. Andr. Anton Card. Henricus*, quos ſtatim referam. Quamvis id mihi non facile perſuadeam, quod remittat ſe ad dicta per ipſum, *cap. 1. de eo, qui duxit in matrim.* ad quem locum etiam ſe remiſit, *dict. c. Quidam*, in eo autem uſus eſt præfata diſtinctione, quare in ea reſidere videtur.) Sed hanc partem ſuſtinent *Joan. Andr. dict. cap. Conſuluit, fin. & dict. cap. Quinam num. 2.* ubi *Anton. num. 4. Anchar. ad fine, Card. n. 2. q. 3. Idem Anchar. dict. c. Conſuluit, fine, & ibi Card. fine, Anton. fine, Henric. c. Placet, nu. 4. de converſ. conjug.* Eaque veriſſima eſt. Quod prior profeſſio fuerit prorſus irrita, ac proinde novo conſenſu indigeat (ut num. præced. declaravi.) At ſi conjux hic quamvis ignarus mortis alterius ſciens priorem profeſſionem fuiſſe nullam, vellet denuo ratificare eo modo, quo poſſet: & concurrerent ſuperioris acceptatio, iteratuſque novitiatus, (caſu quo ad convaleſcendam profeſſionem ea deſiderentur: juxta dicenda diſp. 37. ubi hoc diſcutietur, ſit neceſſarium necne) valebit utique profeſſio prior. Sicut probavi lib. 2. diſp. 33. num. 2. validum eſſe matrim. inter eos initum, qui impedimentum dirimens ſubeſſe putabant, cum tamen re ipſa illud non ſubeſſet, vel jam ceſſaſſet: ſi re vera intendebant facere quidquid in ſe erat.

In 3. caſu, nempe, quando conjux profeſſus ſciens mor- 20
tem alterius, qui numquam conſenſit, perſtitit in religione: ſupponunt convaleſcere profeſſionem, *Jo. Andr. Anton. Anch. Card. Henric. num. præced. alleg.* nam relata opinione Innocent. ſentientis ratificari profeſſionem, ſive ſcita, ſive ignorata morte contradicunt illi, quando mors ignorata eſt. Et tenent *Innocent.* etiamſi tunc per momentum ſteterit in religione, *c. Quidam, num. 2. de converſ. conjug. & ibi Hoſt. n. 3.* placet mihi, ſi ſerventur cetera requiſita, ut ea profeſſio convaleſcere poſſit. De quibus erit ſermo diſp. 37. & ille faciat propria profeſſis ſufficientia ad inducendam profeſſionem tacitam, animo vero profitendi de novo.

In 4. caſu, nimirum, quando conjux ſpoliatus conſcius 21
profeſſionis ſine ſua licentia factæ, potenſque commode revocare, non revocavit, ſed diſſimulavit ac tacuit, quid ſentiendum ſit, dicam diſp. ſeq.

In ultimo caſu, nempe, quando ſpoliatus dum viveret, 22
conſenſit expreſſe ut profeſſus perſiſteret in religione. *Angelus Matr. 4. n. 16.* ait non poſſe per mortem exire. Quia perſiſtens in religione, cum illo conſenſu alterius conjugis, videtur ratam habere priorem profeſſionem. Et conſtat ex allegatis, nu. 20. Idque veriſſimum eſt: ſi (ut ibi dixi) concurrant cetera requiſita ad illius profeſſionis conſummationem.

6. Deducitur, num conjux in ſæculo relictus, altero abſque 23
ejus licentia profeſſo, poſſit quoque invito profeſſo religionem ingredi? Qua in re quidam ſic diſtinguunt. Si conjux ſit jam e monaſterio eductus, alterique reconciliatus, non poterit ſpoliatus invito altero ingredi. Cum jam res non ſit integra, ac matr. ſic inſtauratum, & remota diviſione ad priſtinam unitatem reſtitutum. Si vero id effectum non ſit, poterit utique. Ducuntur ad hanc poſteriorem partem affirmandam, quia conjux ille profeſſus nequit debitum petere. Sed hæc ratio ſimiliter probat contra ipſos id licere poſt reconciliationem: tunc enim non poteſt etiam petere debitum ob votum caſtitatis ſimplex (ut diximus nu. 4.) Secundo adducunt *cap. Agathoſa 27. q. 2.* Quod nil facit ad rem hanc: ſed ſolum ibi decernitur virum ſine uxoris licentia profeſſum eſſe illi reſtituendum. Hujus ſent. ſunt *gl. c. Quidam, v. Non exigere, de converſ. conjug. & ibi Hoſt. n. 2. & ibi Jo. Andr. in fin.* dicit æquitati conſonam eſſe ſentent. hanc. Eamdem tenent *idem Hoſt. ſumm. tit. de conv. conjug. nu. 8. verſ. Quid ſi ipſum Goffr. ſum. eod tit. nu. 6. Archid. c. Mulier el. 1. fi & ibi Bellam. fin. 32. q. 5. Alberic. in ſuo diction. v. Votum 4. ad fin. Henric. c. Uxoratus, n. 13. de converſ. conjug. Vincentius 2. tom. in ſpeculo doctrinali, l. 9. c. 92. Monald. ſum.* ubi de voto, *tit. de voto conjug. verſic. Item quid ſi uterque, Jo. de Fribur. in ſum. confeſſ. l. 1. tit. 8. qu 54. Lex regia 12. tit. 7. p. 1. fin. & ibi Greg. Lop v. Bivieſſen*. Imo addunt *Hoſt. in ſum. eod. nu. 8. Jo. de Fribur. & prædicta Lex regia*, etiam licere conjugi relicto in ſæculo ingredi invito profeſſo ſibi reſtituto, ſi poſt reſtitutionem non eſt carnalis copula ſubſecuta. Quod *Greg. Lop. ibidem* dicit non carere ſcrupulo. Limitat etiam Albericus, ut ante reſtitutionem liceat

liceat conjugi relicto ingredi contra voluntatem alterius quando in illius ingreſſu vovit continentiam, ſecus non. At dicendum eſt numquam poſſe profeſſo invito alterum ingredi, & ingreſſum poſſe revocari. Quia profeſſio non tenuit, nec delictum profeſſi præſtat jus alteri divertendi, quando delictum non eſt ex iis ob quæ licitum eſt divortium. Et ideo hanc partem tuentur *Innocent. dict. cap. Quidam, n. 2. & ibi Anton. in fine Cardin. ibi n. 2. q. 2. in fine, Anch. 5. qu. 2. Aſtenſis ſum. 2. p. l. 8. tit. 11. art. 2. q. 13.* Addit Ancharanus (& bene) profeſſionem factam a relicto in ſæculo, quæ ſine alterius profeſſi licentia, ſed ipſo repugnante facta eſt, non valere, quia ipſo invito profiteri nequit.

24 Tandem ex his deciditur, an ſi uterque conjux mutua licentia non obtenta profiteatur, ſive conſcius, ſive ignarus profeſſionis alterius, valeat profeſſio. Et quidem utriuſque profeſſionem valere in utroque eventu; & neutri revocationem alterius permitti, affirmant *Innocent. cap. Quidam, nu. 2. fin. de conver. conjug. & ibi Joan. Andr. num. 2. fine, Anton. n. 5. Anch. ad fin. Alber. in ſuo dictionario, lit. V. verbo Votum 4. ad fin. Henric. cap. Uxoratus, num. 13. de conver. conjug. Brunel. de ſponſal. concl. 30. num. 15. Aſtenſis ſumm. 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. quæſt. 14. & 15. Joan. de Fribur. ſumma confeſſorum, lib. 1. t. 8. quæſt. 56. & 57.* Quia neuter poteſt conqueri ſe ab alio ſpoliatum, ſed ſemetipſum proprio facto ſpoliavit: & utriuſque profeſſio altero profitente rata facta eſt. At placet diſtinctio *Card. dict. cap. Quidam, nu. 2. quæſt. 4. & Guillel. per Henricum relati*, nimirum, ut valeat profeſſio, quando uterque fuit conſcius. Qui facto ipſo ſibi mutuo licentiam concedunt: ſecus quando fuit ignarus: tunc enim poterit utervis exire, & alterum repetere, & neutrius profeſſio valida erit. Quia neuter licentiam alterius habuit: & profeſſio prioris profeſſi valere non potuit, quia conſenſus alterius defecit, nec potuit rata fieri abſque nova ratificatione; nec etiam poſterior profeſſio valida eſſe potuit. Cum enim prioris profeſſio non valuerit, nequit poſterior abſque ejus conſenſu profiteri (ut nu. præcedenti diximus.) Nec obſtat quemlibet conjugem ſeipſum ſpoliaſſe, quo minus reſtitutionem petere poſſit. Quia conjux ſe ſpolians poteſt eam petere, ſi rediens non admittatur, ex tunc enim cenſetur ſpoliatus, ut dicemus lib. 10. diſp. 12. num. 16.

DISPUTATIO XXXV.

Utrum quando licentia extorta fuit per conjugem profeſſum metu aut dolo: aut nulla interfuit, ſed ſola conjugis manentis in ſæculo diſſimulatio, valida ſit profeſſio: nec jus competat alteri revocandi?

SUMMARIUM.

Quando licentia fuit metu extorta, an poſſit conjux in ſæculo manens revocare profeſſum, num. 1.
An hic revocatus poſſit petere & reddere, 2.
An ea licentia & profeſſio valida fuerint, obligaritque profeſſio ſaltem ut votum ſimplex religionis, 3.
An teneatur hic revocatus redire poſt conjugis mortem ad religionem, 4.
An peccet exiens propria auctoritate, 5.
An valide contrahat matrimonium, & peccet, 6.
An ſi non fuit revocatus dum viveret conjux, poſſit poſt exire, 7.
An dicenda ſint omnia de conjuge ſic profeſſo, ac ſi abſque licentia profeſſus fuiſſet, 8.
Quando licentia fuit dolo extorta, an liceat conjugi decepto revocare profeſſum, 9.
An ea licentia & profeſſio valida ſint, 10.
An ſic profeſſo, nec revocato, liceat poſt conjugis mortem exire, 11.
An idem omnino dicendum ſit in hoc eventu, ac quando nulla adfuit licentia, 12.
Quando conjux in ſæculo relictus nec conſenſit, nec diſſenſit, ſed diſſimulavit, & tacuit, cum ſciret ingreſſum, an poſſit revocare, 13.
An ea profeſſio fuerit valida, 14.
Si non revocetur, an poſſit poſt conjugis obitum egredi? 15.
An perinde cenſendum ſit quoad omnia, ſicut quando abſque licentia profeſſus eſt? 16.

1 TRiplicem diſp. præſens caſum enucleandum involvit. Primus eſt de licentia metu extorta. Secundus de dolo. Tertius, quando interfuit ſola diſſimulatio. Et quidem in primo caſu, certum eſt quando metus fuit cadens in virum conſtantem, conjugi concedenti licentiam integrum eſſe profeſſum repetere: ſecus quando metus levis fuit. Conſtat ex *c. Accedens, de conv. conjug.* ubi proponitur caſus, de uxore, quæ metu gravi coacta ingreſſa eſt religionem, habitu non aſſumpto, nec voto emiſſo, ut ibi moraretur: & vir profeſſus eſt religionem, poſteaque eam deſerens, repetitus eſt ab uxore, & jubetur ut illi reſtituatur. Quare non ex ſolo judicis officio ea revocatio fit; ſed ad conjugis petitionem, cui licentia illa metu per profitentem extorta nil detrimenti affert: ac proinde jus integrum atque illæſum revocandi manet. Et ita docent *Hoſt. eo. c. Accedens, in fin. Jo. And. in fin. Ant. fin. Abb. fin. Carc. num. un in 2. oppoſ. Cald. cap. 1. de conver. conjug. & ibi Abb. n. 7. Henr. c. Uxoratus, n. 8. & c. Placet, nu. 2. eod. tit. Alberic. in ſuo diction. lit. V. v. Votum 4. ad fin. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t. 11. art. 2. q. 9. Jo. de Fribur. ſumm. confeſ. l. 1. t. 8. q. 52. Roſel. v. Impedim. imped. 11. init. Angel. Matrim. 4. num. 12. Sylv. v. Divortium, q. 14. & Matrim. 8. q. 12. d. 4. Turrec. c. Seriatim d. 32. ar. 3. n. 4. caſ. 6. Brunel. de ſponſal. concl. 30. n. 9. Greg. Lop. l. 2. v. Gelo otorgaſe, t. 10. p. 4.* Et ex Theologis *Vincent. 2. tom. in ſpeculo doctrinal. l. 9. c. 92. Durand. 4. d. 32. q. 2. n. 6. fin. & ibi Majoris q. 2. §. Pro illa rubrica, & ibi Supplem. Gabrielis q. 1. art. 2. concl. 8. Azor lib. 12. inſtit. moral. c. 1. q. 6. Petr. de Ledeſ. de matrim. q. 64. art. 1. dub. 1. concl. ult. Lud. Lop. 2. p. inſtr.* ubi de matrim. *cap. 54. col. penult.* Quare etſi *Jo. Andr. dict. c. Accedens, in fin. & ibi Hoſt. nu. un. ſuper v. Habitu religionis, Anton. ad finem, Anchar. fine*, dicant præcipue ponderari in *eodem c. Accedens*, uxorem juvenem nullum votum emiſiſſe: ut ſic profeſſio viri non valuerit, ac uxori concedatur repetitio. *Abbas* tamen *ibi, in fine, & Card. num. unico, in 2. oppoſit.* melius docet non ponderari uxorem non noviſſe, ſed licentiam fuiſſe metu extortam.

Hic autem conjux revocatus non poteſt petere debitum, 2
tenetur tamen reddere, ut docent *gl. c. 2. 33. q. 5. v. Cum feſtinatione, Hoſt. c. Accedens, de conv. conjug. n. un. ſuper v. Exhibeat*. Sicut diſp. præc. n. 4. diximus idem de profeſſo abſque conjugis licentia, quia votum caſtitatis obligavit illum in quantum potuit, quod intellige cum limitatione ibi n. 3. poſita.

Profeſſio autem religionis nulla fuit. Quod conjugatus in- 3
habilis ſit ad transferendum dominium ſui in monaſterium per profeſſionem abſque licentia, qua alter conjux cedat jure ſuo: qualis non eſt per metum extorta. Alias non daretur conjugi concedenti licentiam jus repetendi, utpote qui juri ſuo renunciarit (ut dixi diſp. 33. n. 18.) Idemque probatur ex *c. 2. 33. q. 5.* quod eſt Alex. 2. ubi vir, qui metu licentiam uxoris extorſerat ad profitendum, poſt profeſſionem exiit, & quæſivit a Pontifice, quid faciendum? Et quamvis Pontifex non directe reſpondeat interrogationi, at per conſequentiam oſtendit talem profeſſionem fuiſſe nullam: dum ait profeſſionem conjugati minime faciendam abſque communi conſenſu ſpontaneo, ut notat *ibi gloſ.* in caſu poſitione. Et ita dicunt non tenere ingreſſum, *Jo. Andr. c. Ex parte, el. 1. n. 4. verſ. In 4. caſ. de conv. conjug. & ibi Anch. n. 2. verſ In 4. caſu, Card. n. un. oppoſit. un. verſ. Sed pro intellectu, & Dominic. c. Seriatim, n. 5. d. 32.* ajunt hunc non poſſe dici profeſſum, ſicut quando abſque licentia profeſſus eſt. Et *Henric. c. Placet, n. 2. de conv. conjug.* dicit idem omnino de hoc judicandum eſſe, ſicut de eo, qui abſque licentia ingreſſus eſt. Quod idem clare docent *gloſ. c. Veniens, v. Captioſe, de converſ. conjug. Hoſt. c. Accedens, paulo poſt princ. eod. tit. Petr. de Led. de matrim. q. 64. a. 4. dub. 1. concl. ult.* ubi dicunt licentiam illam metu extortam fuiſſe ipſo jure nullam. Atque ideo credo eam profeſſionem nec habuiſſe vim voti ſimplicis religionis, ut dixi diſp. præced. n. 10. de profeſſione, quæ abſque omni licentia facta fuit.

Hinc deciditur, an hic conjux teneatur ad religionem re- 4
dire poſt mortem conjugis revocantis. Et non eſſe cogendum redire, docent *gl. c. 2. 33. q. 5. v. Cum feſtinatione, Hoſt. c. Accedens, nu. unic. ſuper v. Exhibeat, de converſ. conjug. Henric. c. Placet, num. 2. eod. tit. Dominic. c. Seriatim, n. 5. d. 32.* Et credo nec in foro conſcientiæ teneri, ut diſp. præced. num. 12. dici contra alios de profeſſo abſque licentia, & poſtea revocato. Cum in neutro caſu voto religionis teneatur.

2. Hinc deciditur, an peccet exiens propria auctoritate a 5
religione? Peccare affirmant *Jo. Andr. c. Accedens, n. 1. ſuper verb. Reliquiſſet, de converſ. conjug. & ibi Hoſt. n. unic. ſuper verb. Reliquiſſet, & Cardin. ibi, in fine*, quod obligare ſeipſum potuerit. Sed ſicut diſp. præced. 15. hanc ſent. reprobavi in eo, qui abſque licentia profeſſus eſt, ita & diſplicet, ubi licentia fuit metu extorta. Quia in utroque eventu idem dicendum eſt, ut dixi num. 5.

3. Deciditur, an profeſſus hic peccet ineundo poſtea ma- 6
trimonium, idque ſit validum? Dicendum enim eſt eum peccare contra votum ſimplex caſtitatis, at matrim. eſſe validum. Sicut diſp. præced. num. 5. diximus idem de profeſſo abſque alterius conjugis licentia. Nam *Hoſt. Henric. num. 4. alleg.* dicunt in hoc eventu dicendum eſſe idem, quod ſtatuitur *c. Quidam, & c. Placet, de converſ. conjug.* de eo conjuge, qui ſine licentia profeſſus eſt.

4. Deciditur, an ſi profeſſus hic non revocetur altero con- 7
juge vivente, valeat poſt ejus obitum exire? Quidam exire poſſe negant: eo quod ceſſante obſtaculo valoris profeſſionis, per alterius conjugis mortem, effecta ſit valida. Ita *Calder. cap. 1. de converſ. conjug. & ibi Abbas n. 7. Jo. And. c. Ex parte, el. 1. n. 4. verſ. In 4. caſu, eod. tit. & Anch. n. 2. verſ. In 4. caſu, Card. n. unico, oppoſit. un. verſ. Sed pro intellectu*. At dicendum eſt in hoc caſu, quo diximus diſp. præced. nu. 18. & ſeqq. in eodem caſu. Quia idem judicium eſt.

Tandem omnia dicta tota diſp. præc. de conjuge abſque 8
licentia profeſſo, dicenda ſunt de profeſſo cum licentia metu extorta. Quia idem eſt judicium de utroque, ut bene cenſuit *Henr. c. Placet, nu. 2. de converſ. conjug.* & conſtat ex dictis nu. 3. Et quia cum illa licentia non valuerit (ut diximus eodem n. 3.) perinde eſt, ac ſi non interveniſſet, non enim impedimentum præſtat, quod de jure non ſortitur effectum, *regul. Non præſtat, de regulis juris, in 6.*